

viri sancti nominati et literati. Moricho, vir nobilis in Thuringia et Saxonia, factus est monachus in Hirssawia et de eodem cenobio reformatum fuit cenobium dictum cella Paulina.

Ibid. p. 294, 15 (Or. fol. 157a). Wernherus, filius dompne Pauline. Hic erat vir militaris summe audacie, corporis elegancia decorus, statura procerus, jocundus, alacer et fidus amicis, hostibus autem formidolosus, spiritualium amator quidem sed non sectator, sed bellicis rebus strenuus, nulli vero in eodem studio secundus, et alia plura, quo ad seculi ac bellica negocia, laude dignus. Et hec omnia vir Domini tandem respuit, sprexit, monitis sanctis matris¹⁾ acquievit, mundanam gloriam in spirituales commutavit, prius factus frater conversus in loco, ubi mater sua Paulina morabatur, in barbaros²⁾ Cristo militavit.

Trithemius (Annales): Filium habuit nomine Wernherum, qui posteaquam annos pueriles in studio desudans litterario excessit, hortatu sanctae Matris in praesenti Coenobio Hirsaugiensi Monachus factus, perfectum se regularis observantiae custodem in omnibus semper exhibuit. Qui postea Coenobio per Matrem in Thuringiam consummato, illuc de Congregatione Hirsaugiana cum aliis novem fratribus missus est, qui inter decem sub Gerungi Abbatis regimine, qui fuit undecimus, locum illum tradente sancta Paulina, sicut diximus, anno Beati Abbatis Wilhelmi sexto decimo, primi regulariter inhabitare coeperunt.

Nicolaus de Siegen (p. 294, 24 Wegele). Erant etenim in loco celle Pauline duo monachi de Suevia, Cristi ancille precibus devicti³⁾, ut apud eam manerent et monasterii fundamenta jacerent, quorum (unus)⁴⁾ : Ebernus. : Hic debuit esse pater spiritualis quidem celle; sed quia erat in rebus ecclesiasticis disponendis minus ydoneus, a loco discessit et consodali suo, qui secum venerat, regimen commisit : Sigebeto. :⁵⁾ Hic a dompna Paulina una cum Eberno vocatus, sed quia Ebernus locum refutavit, hic Sigebertus omnem curam super se suscepit. Erat enim vir religiosus, constans atque zelosus atque industrius, qui etiam in eadem cella in finem perseverans in loco diem clausit extremum. Cernens autem mulier prudentissima, quod locus in religione sacra proficeret et numerus fratrum accresceret, ipsa cum suis sodalibus fratribus locum dedit et ad interiora atque remociora heremi loca se contulit ibique in magna paupertate et humilitate degens (vixit)⁶⁾. Dixitque mulier sancta et discreta ad alios: 'Si filius meus Wernherus me solam matrem habet, omnes com-

1) Cod. 'matri'. 2) Helmsdörfer a. a. S. 42, Anm. 2, emendiert: 'in barbatis', d. i. Laienbrüdern (besser 'inter barbatos'. W.). 3) Nach 'devicti' in der Hds. ein zweites 'precibus'. 4) 'unus' mit Recht von Wegele ergänzt. 5) Nicht: Sigeberto. 6) Offenbar ist 'vixit' oder dgl. ausgefallen.